

» fratre suo civitatem Tervisii ac omnia castra. et fortilicias, que
 » et quas ipsi domini Albertus et Mastinus fratres tenent et habent
 » seu eorum nominibus tenent et habent in dicta civitate Tervisii
 » et toto ejus comitatu et districtu pluries oblatam et oblata dicto
 » domino duci et communi Venetiarum et etiam omnia jura quo-
 » modolibet spectantia et pertinentia seu competentia ipsis dominis
 » Alberto et Mastino et cuique eorum in dicta civitate et in omni-
 » bus et singulis castris, locis, terris, jurisdictionibus dominiis et
 » totius ejus comunitatis et districtus, dedit, tradidit, concessit
 » et voluntarie, libere et expedite dimisit ac dat, tradit, concedit et
 » voluntarie, libere et expedite ac omni modo et forma quibus me-
 » lius et efficacius potuit et potest, dimittit prenominate domino
 » Nicolao Pistorino sindico et procuratori ipsorum domini ducis
 » et communis sindicario nomine pro eis stipulanti et recipienti.
 » Ita quod amplius in predictis vel de predictis civitate, castris,
 » locis, jurisdictionibus, honoribus, dominiis comunitatis vel distri-
 » ctus Tervisii aut a Brenta citra, versus territorium Tervisinum:
 » scilicet a Baxano infra vel supra, ullo modo vel ingenio, causa,
 » colore, ratione vel forma, que dici vel excogitari posset se non
 » intromittant nec impediunt per se vel alios ad hoc ut pax melius
 » et clare et sine questione aliqua observetur. Verum si vicentini
 » aliqui aut alii subditi vel districtuales dictorum dominorum de la
 » Scala haberent possessiones vel bona citra brentam in aliqua villa
 » vel loco, que fuisset vel fuisse olim diceretur de Vicentino distri-
 » ctu, de jure sibi spectantes vel spectantia, illas et illa habeant,
 » gaudeant et possideant pacifice et quiete sine constructione vel
 » hedificatione forticie vel pontis vel alterius novitatis, et reser-
 » vata jurisdictione plenaria dictarum villarum et locorum commu-
 » ni Venetiarum et ad dispositionem ipsius communis.
 » Item idem magister Franciscus procurator et procuratorio
 » nomine dicti domini Mastini et pro eo ac domino Alberto fratre
 » suo castrum, locum, turres, fortiliciam et terram Castribaldi cum
 » pertinentiis, territorio et juribus dicto castro, terre et loco ab ista